



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 27. Imperator Roma in Germaniam reversus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV. A.C. 1468. tium ad duo capita reducebatur. Primo, nomine Pontificis atque Imperatoris literæ darentur ad Principes, quibus ad Calendas Novembris anni proximi Legatos suos Romam mittere rogarentur, qui de ratione tuendæ fidei cum sua sanctitate agerent. Secundo, Venetis diutino Turcarum bello exhaustis decimæ Clericorum, Hebræorum vigesimæ & Sæcularium trigessimæ in ditione eorum concederentur juxta normam, qua olim ex decreto Mantuano pro tota Italia ejusmodi exactiones fuerunt indictæ.

§. XXVII.

Imperator Roma in Germaniam reversus.

Papiens. Comment l. 7.
Platin. in vit. Paul. II.
Krantz. l. 13.
Wandal. I.

Verum nec felicior fuit hujus mediū quam priorum successus. Unde haud multo post Imperator, cum solidos septemdecim dies Romæ hæsisset, in Germaniam reversus est. Hunc Papa copiosis muneribus, gratiisque spiritualibus auxit, atque in reditu per ditionem Pontificiam semper lautissime habuit unacum toto ejus comitatu, qui plusquam sexcentis Equitibus constabat. Ceterum Pontifex in hac occasione magnificentia nemini secundus videri voluit, eoquod sibi persuasum haberet, quod Cæsar adversus

sus Germanorum factiones Sedem Apostolicam constanter propugnasset.

Sæcul. XV.
A.C. 1468.

Hæc Papiensis, qui cunctis præsens aderat, totiusque itineris relationem ad posteros transmisit. Platina quoque refert, Pontificem ad Imperatoris adventum, *equitum peditumque suorum magnam partem in urbem advocasse, eoquod vereretur, ne qui tumultus præsentis Imperatore a populo Romano excitarentur, quamvis ille alioquin exiguo comitatu stipatus a nemine timeretur, imo nequidem ei debitus honor haberetur.* Hanc ob rem Krantzius asseruit, quod populo Cæsarem adhuc in vivis esse, novum, mirumque acciderit, cum tamen illum jamjam fatis functum crederet, eoquod nullo hucusque heroico facinore se vivum ostendisset. (*)

§. XXVIII.

(*) Observes velim, non Platinam, sed Continuatores de suo adjecisse hæc verba: *quamvis ille &c.* ut autem animi sui erga Augustissimam Domum Austriacam minus propensi testem produceret, Krantzius prorsus inepte allegat; Verum non solus ille tanti ponderis Scriptor est, ut pium juxta ac gloriosum Cæsarem, quem tot ora celebrant, velut ignavia mortuum laceßere audeat, præcipue cum calumniæ suæ testes nonnisi vulgi rumores adducat, quis vero ignorat, plebi nil magis familiare esse, quam